Nuptiis auspicatissimis

*Ornatißimi & Prudentißimi Viri*

# Dn. JOHANNIS KIESELBACHII, INCLUTÆ Reipublicæ Stetinensis Senatoris, & Eccles. Provisoris fidelissimi,

secundùm SPONSI,

Cum

*Lectißima Pudicißimaq; virgine*

# MARGARETA,

*Viri quondam Amplißimi & Prudentißimi*

DN. BONAVENTURÆ Werthern/ Ejusdem Reipubl. Camerarij dignissimi, relicta Filia.

SPONSA.

*Gratulantur Amici.*

STETINI,

*Ex Typographeô* GEORGII GOETSCHII,

*Anno* 1627.

ESSE Joco dictum saltem, vir culte, putabā,
Quòd Vidui, Uxorum qui bene Fata fleant,
Donentur rursus, Jovâ mediante, puellis,
Quas ætas, virtus, divitiæq; beent.
Seria sed res est: quia Tu sat conjugis udus
Flevisti viduus tristia Fata Tuæ,
Virgine donaris formâ, virtute, bonisq;
Quæ sanè in summô condecorata gradû.
Nunc igitur luctum mutes in gaudia, questûs
In suaves gestûs, dulcicreposq; jocos.
Dum Tibi sic oritur jucundô lumine Phœbus,
Et sic affulget luce venusta Venus.
Quam non occiduam videas, nisi si vice multâ
Secula transierint Nestoris ampla Senis.

*Gratulabundus properiter*
*F.*

M. MARTINUS BAMBAMIUS
P. L. & Sch. Sed. Sen.
ConR.

*ILle ego qui quondam duram, vir culte, dolebam*
*Sortem, quam Domui fata dedere tuæ;*
*Dum truculenta duos mortis violentia gnatos,*
*Uxoremq́ tuam sustulit ante dies:*
*Tristia tunc tristem me metra sonare decebat,*
*Officij leges id voluisse puto.*
*Nunc tecum lætor, dum quæ lux abstulit olim*
*Gaudia, lux præsens restituisse parat.*
*MARGARIS ecce datur, quæ par virtute priori,*
*Par pietate, fide, parq́ parente gravi.*
*Non igitur porrò sublatæ funera costæ*
*Plores, en iterum costa venusta venit.*
*Quin potius toto plausus ex pectore funde,*
*Quod mors abripuit, sors bona reddit, io!*
*Et mea ceu meritus, foret ultro Musa parata,*
*Hisce tuis tædis ut metra multa canat*
*Sed trahor, ut nosti, retrahorq́ laboribus, ergo*
*Hora pio voto claudere verba jubet.*
*Tot vestro thalamo summus det Jhova bonorum*
*Commoda, pisciculos odera quotquot habet.*
*MARGARIS ut tecum multos feliciter annos*
*Exigat, & verè hæc vota secunda fient.*

Properante calamo *Dn.* hospiti
ὁλοκαρδίως gratul.

M. Martinus Bolduanus

NUm Bellona ferox dirum mortalibus omen,
Neſcio numve Venus ſit metuenda magis.
Utraq; bella movens acies, ſtragesq; cievit
Haud parvas, multis exitioq; fuit.
Horrendum illa fremit, turres, ac magna domorũ
Culmina convellit, parcere neſcit adhuc.
Hæc Trojam excidit, miſeranda ſorteq; preſſit,
Sævit adhuc, multis triſtia fata parat.
Hinc fit mœrentes ut ſoli carpere vitam
Malint, & Veneris præmia nulla velint.
Contrà, lætitiâ multorum pectora mollit,
Exſpectata venit grataq; Diva Venus.
Jungere perpetuô cupiunt hinc fœdera nexu
Connubij, cæptis ſorsq; ſecunda favet.
Unde magis tibi Sponſe torum conſcendere rurſus
Divorum placito, complacuiſſe patet.
Nec dubiũ eſt, (quando ſuperum ſic fata feruntur)
Fortuna inceptis cedat ut usq; tuis.
Conjugiumq; tuum nil ſit niſi bella voluptas,
Pax & proſperitas concomitetur idem.

*Honoris ergò F.*

Jacobus Fridebornius,
Stetin. Pomeranus

IV.

# MARGARITA

*Per Anagramm.*

## GRATA MARI.

EST quædam res GRATA MARI, hanc dignatur honore,
Omnibus & placet hæc, hujus amore tumēt.
Est pretiosa satis, quare nec habetur ab omni,
Sed quibus est GRATUM relligionis opus.
GRATA MARI hæc res est, oculis est GRATA medela,
Tristiciam ex toto corde, animumq; fugat.
GRATA MARI est Virgo formâ & virtutibus aucta,
En dubitas? satis hoc lux hodierna probat.

*Honoris ergo scripsit*

Fridericus Neander,
Stet. Pom.

V.

*O Nimium dives, sat felix atq; beatus,*
*Cui non uxorem Fata vocata negant,*
*Nam simul hunc Dominus thesauro & munere digno*
*Ditat, dignatur, munerat atq; beat.*

Ab

*Ah dives, felix eris, & Neonymphe beatus,*
*Nam tibi præ cunctis Fata secunda favent,*
*MARGARIN atq; tibi præsentant, Ecce salutes*
*UXOREM, Divum munere ritè datam:*
*Hæc etenim est dives multis virtutibus, auro*
*Præstat & argento MARGARIS Hæcce tua.*
*Quare fausta precor vobis & Nestoris annos,*
*Imprecor ex GEMMA hac dulcia lucra, Vale.*

Honoris ergo gratulatur

Theodorus Schambachius.

FINIS.

